Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25968
Copyright: Admont, Benediktinerstift

stabilimentum. ut de quo locuntur: ad ipsum etiam
mystice referantur. Unde et nos cum hic in capite libri
notatum esse credentes. hanc litteram in prima libri re
gum hystoria. quantum ipso largiente possumus. ad
ipsum qui est caput nostrum. referre et interpretari temp
tamus. Sic enim in principio libri regum LEGITUR.
Fuit vir unus de ramatha sophym. de monte effraym.
et nomen eius helchana. filius ieroboam. filii heliu. filii
thau. filii suph effrateus. Unus vir huius nomine. medi
ator dei et hominum. homo christus ihesus potest significari. quia
preter ipsum solum nunquam homo super terram viri nomine
in veritate potuit vel poterit appellari. cum omnes homi
nes sicut in iniquitatibus concepti et geniti. non nunquam
per peccati pollutionem reddantur effeminati. Ipse autem dominus
noster ihesus christus. iure vir unus dici debuit. quia solus in hoc
mundo inter homines ita conversari potuit. quod nunquam
cogitatione. verbo vel opere aliquid admisit. nisi quod
virile et virtuosum fuit. Hunc unum virum. hominem christum
ihesum. david quoque in psalmo denotat. et preter istum
solum. omnes homines peccatorum contagione involutos de
nuntiat. Omnes inquit declinaverunt simul. inutiles facti
sunt. non est qui faciat bonum. non est usque ad unum. Ecce unus
iste sepe iam dictus. et semper dicendus. et nominandus.
est dominus noster ihesus christus. qui pro sua singulari innocentia.
unius nomine sepe significatur in sancta scriptura. Sed quod
verus homo absque humane contagionis culpa in hoc
mundo vivere potuit. non ex humana natura sua ha
buit. sed ex hoc quod deus fuit unus in sancta trinitate. quam per
tria nomina hec. ramatha. sophym. effraym. credimus
significari posse. Ramatha namque excelsum dicitur. per quod